



**E**Rasmus, cognomento Sturmer, ex nobili familia natus, & in omni genere uirtutum educatus est. Quam primùm uerò literarum fundamenta iecisset, & iam adulesceret, animum ad armorum studia adiecit, & Cæsaris castra sequi cœpit. In ijs uerò talem se exhibuit, ut magnum rei militaris notitiam acquisierit. Itaque factum, ut ob plurimas animi & corporis uirtutes ab Episcopo Vuirzburgensi & Franconiæ duci in consilium adoptatus, & tandem Ducatus Francici Orientalis præfectus constitutus fuerit. Eam prouinciam suis humeris suscepit, & res sibi commissas magna dexteritate expediuit. Vnde &

principi & eius subditis gratissimus extitit, ita ut eius opera in rebus grauissimis usus fuerit. Cum etiam Fridericus præsul anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Franckoforti, dum nouus Cæsar Maximilianus eligeretur, cōpareret, atq; quædã pars totius actionis esset, hic Erasmus principi suo adfuit, & suis uirtutibus omnibus innotuit. Vnde meritò hoc loco eius mentio facta. Anon.